

alio sensu DEus sit originans alio originatus. Quo pacto & sensu exclusit jam olim tales terminos, imò scripturæ adhuc magis affines Epiphanius libr. 3. Thes. I. hæres. 72.

§. 24. Ex his igitur constat, quod nobis sit unus DEus Essentia, trinus autem in personis. Tres enim sunt qui testantur in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt I. Joh. V. v. 7. *Ego, inquit Christus & Pater unum sumus* Johan. X. v. 30. unum non tantum, consensu & voluntate; sed etiam natura, sive Essentia. Unde Judæi ipsi colligunt veram describi divinitatem v. 33. quam etiam Christus demonstrat ex divinis operibus v. 37. & subjicit v. 38. se esse in Patre, & Patrem in ipso.

§. 25. Intellexerunt veteres nomine *Essentia*, naturam ipsam divinam, qualis in se absolutè est atq; una cum suis attributis simplicissime una ac singularis, atq; unica: Quæ natura seu Essentia divina, citra sui multiplicationem, aut divisionem æq; competat Patri ac Filio, & Spiritui S. Personæ verò nomine, prout alias intelligimus, suppositum intelligens, cum tres personas dicerent, veteres significarunt tres esse unius Essentiæ divinæ subsistentias, quæ suppositum in Esse suppositi, aut personam in esse personæ constituent, adeoq; tria sint supposita, aut tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus S. eandem essentiam divinam, citra ejus multiplicationem aut divisionem participant, aut sibi met vindicantes. Unde præterea, Patrem & Filium, quos tanquam duas personas differre Arriani concesserunt, sed essentia differre finxerunt naturam divinam, Filio denegantes; orthodoxi verò Filium Patri *ὁμοούσιον* consubstantialem dixerunt. Atq; si Græcorum linguam audiamus, dixerunt illi *ἁρτία* esse unam tres autem *ὑποστάσεις*. Filium esse Patri *ὁμοούσιον*, non autem *ὁμοιούσιον* ne dum *ἕτεροούσιον*. Quod autem Pater & Filius, & Spiritus S. ut tres personæ realiter differant, & probari facile potest, & probatum olim fuit. Nempe de Patre, & Filio nomina ipsa, quæ non ipsi suppositorum, ac personarum sunt, apertissime loquuntur Spiritum S. verò esse tertiam personam Deitatis à Patre & Filio distinctam

ex